

## Mirabile siue miraculum s cum fonte primo

Res multis modis apparent mirabiles,  
aliquando ex magnitudine, aliquando ex  
paruitate, aliquando quia rare, aliquando  
quia pulchre.

Secundum magnitudinem attenditur  
quando res quelibet sui generis modum  
in quantitate excedit; sic miramur  
gigantem inter homines, cetum inter  
pisces, grifem inter uolucres,  
elephantem inter quadrupedes, draconem  
inter serpentes. Secundum  
paruitatem considerantur quando  
res quelibet ceteris sui generis  
quantitate equari non potest ut

tinea et uermes et cynifes  
et alia similia que inter cetera quidem  
animalia uiuunt, sed ceteris omnibus  
corporis exiguitate dispare sunt.  
Vide ergo quid magis mireris dentes  
apri uel tineae, alas grifi uel cynifis,  
caput equi uel locuste, crura  
elephantis uel culicis,

leonem uel pulicem,  
tigris uel testudinem. Ibi miraris  
magnitudinem, hic miraris paruitatem;

illis dedit oculos quos uix  
comprehendere potest oculus  
et in tam exiguis corporibus sic  
omnifariam iuuamenta nature sue  
congrua plenissime distribuit ut nichil  
uideas deesse in minimis eorum omnium  
que natura formauit in magnis.

Hugo de operibus trium dierum.

Figurae autem  
rerum multis modis apparent mirabiles.  
Aliquando ex magnitudine, aliquando ex  
paruitate, aliquando quia rarae, aliquando  
quia pulchrae,  
aliquando, ut interim ita loquar, quia  
quodammodo convenienter ineptae,  
aliquando quia in multis una, aliquando  
quia in uno diversa, singula ordine suo  
prosequamur. Figura  
secundum magnitudinem attenditur,  
quando res quaelibet sui generis modum  
in quantitate excedit; sic miramur  
gigantem inter homines, cetum inter  
pisces, gryphonem inter volucres,  
elephantem inter quadrupedes, draconem  
inter serpentes. Figura secundum  
paruitatem consideratur quando  
res quaelibet sui generis  
quantitati aequari non potest, ut  
est succerio in capillo,  
tinea in indumento, vermes et scinipes,  
et similia, quae inter caetera quidem  
animalia vivunt, sed caeteris omnibus  
corporis exiguitate dispare sunt.  
Vide ergo quid magis mireris, dentes  
apri, an tineae, alas gryphis an sciniphis?  
caput equi an locustae? Crura  
elephantis an culicis?  
rostrum suis an succerionis? aquilam an  
formicam?  
leonem an pulicem?  
tigris an testudinem? Ibi miraris  
magnitudinem, hic miraris paruitatem;  
corpus parvum magna sapientia  
conditum. Magna sapientia cui nulla  
subrepit negligentia.  
Illis dedit oculos, quos vix  
comprehendere potest oculus;  
et in tam exiguis corporibus sic  
omnifariam lineamenta naturae suae  
congrua plenissime distribuit, ut nihil  
videas deesse in minimis eorum omnium  
quae natura formavit in magnis.

Hugo de sancto Victore, *Eruditionis didascalicae libri septem*, 7, 9 (PL 176,  
col.819A-C).